Προοιμιακὸς dictus. Erat autem CIII. Benedic anima mea Domino &c. Potissimum verò illius usus in inchoandis Vesperis. Dicitur προοιμιακὸς quod vicem prooemij gereret in Vesperis, vel quod ab eo exordium haberent, vel ἀπὸ τῶν προοιμίων, Prooemijs, ita enim precationes illae vocabantur, quae in diurnarum laudum officij primum locum occupabant. Vid. Zonaras in Can. 117. Africanum. Secundus Tripsalmus, τρίψαλμος, à numero, quo constabat, Psalmorum, dici solitus inter Horas, alijs atque alijs Psalmis, neque semper ijsdem, pro diversitate argumenti conjunctus. Tertius ἑξάψαλμος, exapsalmus, è numero Psalmorum, quibus componitur, dictus, sive etiam ἑξάψαλμος. Canebantur ut plurimum in Matutinis, erantque III. XXXVII. LXII. LXXXVII. CII. CXLII. Dixi ut plurimum, cum etiam in Apodipnis dicerentur. Quartus erit, τὰ πρὸς κύριον, ea quae sunt ad Dominum — — Et sunt Psalmi CXIX. CXX — CXXXIII. nomen habent à primo, qui sic incipit: πρὸς κύριον ἐν τῷ θλίβεσθαί με ἐκέκραξα. Nec alij sunt, quam qui Graduales apud Latinos dicuntur. Haec quum vir minutiora praetereunda non erant, ne quis eorum ignoratione alia atque alia in medium afferat

http://digital.slub-dresden.de/ppn346241804/5